

notificetur, catholicus sacerdos huic matrimonio non intererit, nisi, servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, a patrata culpa absolutionem rite prius obtinuerit. (S. Inqu. Instr. cit.) Eadem pars a censuris quas propter hoc scelus incurrerit absolvenda est, ut respondit S. Inqu. 29 Aug. 1881. (Feye, n. 574) His censuris intellegitur excommunicatio specialiter reservata R. P. de qua n. 586 : qui enim adit ministrum sectae acatholicae, tamquam sacris addictum, in foro saltem externo, censetur favere vel credere haereticis.

Si qui matrimonium mixtum, omissis debitis cautionibus, inierint et postea ad meliorem frugem revertantur, ad episcopum recurrendum erit ut etiam in foro externo cautiones praetermissae praestentur. (S. Inqu. 12 Mart. 1881 ; Coll. P. F. n. 1440) Sin autem pars catholica facti poenitens a parte acatholica obtinere nequit ut consentiat condicionibus jure naturali requisitis, poterit ad sacramenta admitti, dummodo sincere promittat se summo studio curaturam universae prolis educationem in religione catholica et partis heterodoxae conversionem. (S. Inqu. 10 Febr. 1892 ; Coll. P. F. n. 2186) Hic tamen supponitur matrimonium validum fuisse ; si enim ratione clandestinitatis invalidum fuisset ad sacramenta admitti nequiret pars catholica, nisi ab altera parte separaretur, vel, obtenta legitima dispensatione, in forma Tridentina contraheret. Quousque in hujusmodi angustiis aliquid de solitis cautionibus remitti posset, satis dictum est nn. 489 et 518.

Tandem adverte per se licitum esse sacerdoti catholico assistere, tamquam magistratum civilem, duorum haereticorum matrimoniis : hoc enim casu sacerdos adest tamquam testis auctorizabilis. (Litt. Em. Card. Praef. S. C. de P. F., 26 Jan. 1895 ; N. R. Th. t. 27. p. 373)

CAPUT V.

DE IMPEDIMENTORUM DISPENSATIONE.

§ I. DE AUCTORE DISPENSATIONIS.

521. I. Romanus Pontifex semper valide et, cum justa causa, etiam licite dispensat in omnibus impedimentis matrimonialibus juris mere ecclesiastici. (Vol. I. n. 118) In impedimentis vero juris naturalis vel divini positivi, utpote in lege superioris, dispensare nequit nisi quatenus id ei a Deo concessum sit : quod potissimum e traditione et praxi colligatur oportet.

Ut brevi conspectu pateat quatenus R. P. possit et soleat in impedimentis dispensare, subjiciemus, cum pluribus AA. (Zitelli, de Disp. matr. p. 54 seqq. ; Ball. P. n. 1337 seqq.), quadruplicem impedimentorum partitionem.

1° *Nequit dispensare* R. P. in impedimentis jure naturae primario matrimonium dirimentibus, qualia sunt consanguinitas in primo gradu lineae rectae (n. 479), impotentia antecedens et perpetua (n. 504), ligamen, quatenus excludit polyandriam (n. 461), error et metus quatenus debitum consensum impossibilem reddunt (nn. 471 et 490), aetas, cui desit usus rationis. (n. 494) Idem dicendum de impedimento juris divini positivi, puta ligaminis, quatenus uxorum pluralitatem excludit (n. 461. II), vel omnimodam matrimonii indissolubilitatem statuit. (n. 555)

2° *Numquam dispensat* R. P. in impedimentis de quibus controversatur num sint juris naturalis, vid. in primo gradu consanguinitatis lineae collateralis (n. 479, II) et in primo gradu affinitatis lineae rectae e copula licita. (n. 481) Idem dicendum de impedimento criminis, utroque vel alterutro machinante, quando machinatio est publica (n. 485 seqq.) et de impedimento raptus, (n. 506) quamdiu rapta in potestate raptoris manet. (Feye, nn. 685 et 187)

3° *Raro tantum et ex gravi causa dispensatur* in impedimento clandestinitatis, saltem in casibus particularibus, in quibus de matrimonio contrahendo agitur (n. 495), in impedimento criminis, utroque vel alterutro machinante, si machinatio mansit occulta (n. 485 seqq.), in impedimento publico affinitatis e copula illicita in primo gradu lineae rectae (n. 481), in impedimento disparitatis cultus, saltem extra loca Missionum ubi pauci adsunt fideles (n. 487), in impedimento aetatis, quatenus ad solum jus ecclesiasticum pertinet (n. 494), in impedimento ordinis sacri (n. 461) vel professionis sollemnis (n. 473), quamquam, ex praxi hodierna S. Sedis, jam non requiritur causa boni publici, ut multi AA. docent (Zitelli, op. cit. p. 56), sed sufficit urgens ratio e bono privato deducta et sat gravis ut damnum disciplinae ecclesiasticae illatum compensetur. (De Becker, op. cit. p. 147) Raro tamen cum presbytero dispensatur.

4° *Crebrius et ob minus graves causas dispensatur* in impedimento consanguinitatis, quamquam difficiliter in secundo gradu sive simplici, sive praesertim tangente primum (1), in impedimento affinitatis, excepto primo gradu de quo supra dictum est, in impedimento publicae honores-

(1) Quandoque facultatem dispensandi in secundo gradu tangente primum, ex. gr. ut matrimonium ineatur inter avunculum et neptem. S. Sedes communicat episcopis adhibendam "urgentissimis concurrentibus causis." (De Becker, p. 184)

tatis, in impedimentis cognationis legalis et spiritualis. In his duobus ultimis major causa requiritur ubi dispensandum est in paternitate legali et spirituali, quam ubi de reliquis relationibus eadem impedimenta inducentibus agitur.

N. B. De dispensatione in impedimentis mere impediens, utpote minus implicata, egimus ubi singula occurrerunt.

522. II. Potestatem suam dispensandi in impedimentis matrimonialibus R. P. exercet praecipue per Datariam, S. Poenitentiarium, S. Inquisitionem et S. C. de Prop. Fide.

Ad **Datariam** pertinet dispensare pro utroque foro in omnibus impedimentis quae natura vel facto publica sint. (n. 465)

S. Poenitentiarium imprimis dispensare potest in impedimentis occultis, et quandoque etiamsi natura sua publica sunt: quae dispensatio valet pro solo foro interno. (Bened. XIV, Const. *Pastor bonus*, 13 Apr. 1744) Huic quasi originariae facultati S. Poenitentiarium jam a saeculo integro accessit potestas dispensandi in plerisque impedimentis publicis cum iis qui *pauperes* esse ab Ordinario suo referuntur.

S. Inquisitio dispensare solet in impedimentis mixtae religionis, disparitatis cultus aliisque ortis e publico crimine quod ad hoc s. Tribunal spectet, quia hominem de haeresi suspectum reddit, ut puta si quis sacro ordine initiatus matrimonium attentat vel si quis, vivente uxore, aliam ducit.

S. C. de Prop. Fide quaslibet dispensationes matrimoniales procurat pro locis sibi subditis. Horum incolae insuper adire possunt S. Poenitentiarium pro impedimentis occultis. (Ball. P. n. 1345)

523. III. Episcopi in impedimentis matrimonii dispensare nequeunt, nisi quatenus per expressam tacitamve concessionem S. Sedis hanc facultatem obtinuerint: lex enim impedimentorum a supremo Ecclesiae Pastore lata est. (Vol. I. n. 118. III) Quid possint circa mere impediens, jam dictum est ubi de his agebatur. Circa dirimentia autem duplex distingui solet in episcopis facultas: ordinaria, quae, in praesenti Ecclesiae disciplina, muneri episcopali adnexa est; delegata, quam episcopi per specialem S. Sedis delegationem ad tempus obtinent.

Potestas ordinaria vel quasi-ordinaria episcopi circa impedimenta dirimentia complectitur:

1° Impedimentum juris ecclesiastici dubium. (S. Alph. n. 902) Hoc autem intellegendum est praesertim de dubio facti: siquidem, ubi viget dubium juris, licet unicuique, absque dispensatione, contrahere. (n. 469. VI)

2° Urgentem necessitatem in qua neque ad S. Sedem recurri, neque

matrimonium sine infamia aliove gravi damno differri possit, ut si, imminente morte, matrimonium necessarium foret ad prolem legitimandam (quod hodie, ob dissidentes leges canonicam et civilem, rarum erit), vel mulier honesta parata esset eodem die nuptias contrahere quo impedimentum revelet. (S. Alph. n. 1122) Hanc potestatem plerique hodie restringunt ad impedimenta occulta, ob damnatam 13 Mart. 1660 a S. Inqu. propositionem, quae eam ad impedimenta publica extendebat, et quaedam responsa Romana recentiora. (De Becker, op. cit. p. 289) Nihilominus Ball. P. (n. 1409) eam etiam ad publica impedimenta tuto extendi posse opinatur, cum ita sentire videatur S. Alph. (l. c.), ac proinde censi possit S. Sedes a pristino suo rigore deflexisse, dum S. Doctoris doctrinam tutam declaravit: eo vel magis quod multi legem in casu gravis damni subeundi cessare opinantur. (n. 468)

3° Casum quo, contracto jam matrimonio, impedimentum detegitur. Sed multae condiciones requiruntur ut episcopus hac facultate uti possit; quas videsis apud Bened. XIV, de Syn. l. 9. c. 2. n. 1. Hodie, ob facultates delegatas quibus instruuntur Ordinarii et ob facilem recursum ad S. Sedem, raro erit locus hujus potestatis exercitio.

4° Amplissimam facultatem, quam Leo XIII 20 Febr. 1888 omnibus locorum Ordinariis concessit, dispensandi "sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente." (Coll. P. F. n. 1471) In hac facultate comprehendi etiam impedimentum clandestinitatis respondit C. S. Inqu. 13-15 Dec. 1899, ita ut valeat dispensari a praesentia Parochi proprii ad quem nullimode possit haberi recursus, vel a praesentia testium, cum omnino non sint qui eo munere fungantur. De ejusdem facultatis usu adverte sequentia:

a) Eam adhiberi non posse extra casum quo aegroti matrimonium civile celebraverint vel in concubinato vivant. (S. Inqu. 17 Sept. 1890; Coll. P. F. n. 1475) Sufficit tamen ut aegrotet alteruter, etiamsi impedimentum alteram partem directe afficiat, ex. gr. si aegrotet puella quaecumque diaconus in concubinato vivat. (S. Inqu. 1. Jul. 1891; Coll. P. F. n. 1476)

b) Mixtae religionis impedimentum, utpote mere impediens, in hac concessionem non contineri. (S. Inqu. 18 Mart. 1891; Coll. P. F. n. 2188) Mirum videri potest severius urgeri impedimentum mere impediens quam dirimentia, etiam gravissima. Sed in praxi reapse jam satis providerat S. Sedes ne mixta religio matrimonii celebrationem in articulo mortis impediret, dum concessit passim episcopis, etiam in regionibus

catholicis, facultatem dispensandi super idem impedimentum in casibus urgentibus, in quibus tempus adeundae S. Sedis deficiat.

c) Ex concessione Leonis XIII, per litteras encyclicas S. Inqu. 1 Mart. 1889 promulgata (Coll. P. F. n. 1472), posse Ordinarios hanc facultatem "subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora." Nomine autem *parochorum* hic veniunt omnes qui actu curam animarum exercent, ac proinde etiam missionarii qui parochialibus funguntur muneribus; excluduntur vero vice-parochi et capellani. (S. Inqu. 23 Apr. 1890; Coll. P. F. n. 1473 seqq.)

Delegatam potestatem dispensandi accipiunt episcopi et Vicarii Apostolici per specialia Indulta, quae per S. C. de Prop. Fide ad quinque, decem vel quindecim annos conceduntur, juxta varias Formulas, quarum aliae ordinariae, aliae extraordinariae dicuntur. Posteriores ad tempus brevius et pro certo tantum casuum numero concedi solent. Insuper quasdam facultates pro foro interno episcopis aliisque communicat S. Poenitentia. De tenore et interpretatione harum facultatum delegatarum videsis Canonistas. (Feye, n. 614 seqq.; De Becker, p. 290 seqq.)

Pauca tantum circa usum harum facultatum notabimus, cum hujus rei notitia minus necessaria sit sacerdotibus qui in communi animarum ministerio occupantur.

1° Episcopi in dispensationibus concedendis sequi debent praxim S. Sedis circa causas dispensandi. (S. C. de P. F. 9 Maii 1877; Coll. P. F. n. 1482)

2° Nequeunt episcopi (nisi id eis expresse indultum fuerit) dispensare, quando plura impedimenta in eodem casu cumulantur. (S. C. de P. F. 8 Sept. 1869; Coll. P. F. n. 1469) Quodsi impedimentum in quo dispensare possint, concurrat cum alio in quo dispensare nequeant, utrumque ad S. Sedem deferendum est.

3° Saepe apponitur his facultatibus clausula: "Nec illis ullo modo uti possit (episcopus) extra fines suae dioecesis." Haec autem verba declaravit S. Inqu. 2 Maii 1877 "ita esse intellegenda ut episcopus uti possit facultatibus erga suos subditos, qui actu quo dispensandi sunt, in propria dioecesi commorantur, quamvis ipse episcopus extra suam dioecesim degat." (Coll. P. F. n. 158) Quodsi talis clausula deest, regulariter poterit episcopus dispensare cum quolibet subdito suo, etiam extra dioecesim existente, sufficit autem unum e nupturientibus esse ejus subditum (S. C. de P. F. 19. Sept. 1861; Coll. P. F. n. 1466), nisi impedimentum ex iis sit quae ex una tantum parte se teneant, qualia sunt votum vel ordo sacer. Iis autem qui per domicilium vel quasi-domicilium subditi sunt, aequiparantur vagi; juxta quosdam (Konings, Comment in facult. Apost. n. 49), etiam peregrini dum in episcopi territorio

versantur. Haec tamen sententia minus congruit cum tenore indultorum requirentium ut episcopus iis utatur tantum cum subditis suis.

4° Hujusmodi facultates non cessant mortuo R. P. vel Majore Poenitentiaro. Ex rescripto autem S. Inqu. 24 Nov. 1897 eadem, perinde ac facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede locorum Ordinariis concessae, non suspenduntur, neque desinunt ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transeunt ad formam et in terminis decreti S. Inqu. 20 Febr. 1888. Hoc autem decreto inter alia statutum fuerat: "Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exsequi posse quae remissae fuerint episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hic illas exsequi coeperint, sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, posse episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem seu Officiale, exsequi dispensationes quae Vicario capitulari exsequendae remissae fuerint, seu hic illas exsequi coeperit, seu minus." Itaque facultates ab episcopo acceptae transibunt ad Vicarium capitularem atque ad episcopum successorem, tamdiu duraturae quamdiu non elapsus erit terminus indultario praefixus. (1)

§ 2. DE CAUSIS DISPENSATIONUM.

524. I. Dispensatio in impedimentis matrimonii semper supponit justam causam, ideoque in rescripto exprimitur vel subauditur condicio *si preces veritate nitantur*. Rescriptis ergo S. Sedis vel episcoporum, quibus hujusmodi dispensatio conceditur, applicanda sunt quae universe (Vol. I. n. 121 seqq.) de valore dispensationis precibus subditorum concessae dicta sunt, distinctione facta inter causam finalem et causam impulsivam, inter bonam et malam fidem. Hinc nulla est dispensatio cujus causa finalis falsa sit; nihilominus multi AA., ut Feye (n. 723), censent valere matrimonium bona fide contractum, quamvis delegatur causam dispensandi allatam non exstitisse.

525. II. Quenam causae, in praesenti disciplina, justae censeantur ad concedendas dispensationes matrimoniales, praesertim erui potest ex Instr. S. C. de P. F. 9 Maii 1877 *praecipuas* enumerante. Attendendum tamen praeter has causas quae *canonicae* dicuntur, quia stylo curiae Romanae receptae sunt, allegari quoque posse alias quae *certae et rationabiles* nuncupantur. Monet ipsa Instr. cit. "unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adjunctam suffi-

(1) De facultate subdelegandi dictum est Vol. I. n. 119.

cientem existimari. „ Quare juvabit enumerare in supplici libello quaecumque dispensationi obtinendae profutura videantur.

Allegantur in praedicta Instructione (Coll. P. F. n. 1482) :

1^o “ *Angustia loci*, sive absoluta, sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii, cognatio feminae ita sit propagata ut alium paris condicionis cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem ; patriam vero deserere, sit ei durum. „

Locus hic non intellegitur paroecia, sed coetus incolarum qui a reliquis distet saltem uno milliari seu tertia fere leucae parte. (S. C. C. 16 Dec. 1876 ; Coll. P. F. n. 1481) Angustus autem censetur si numerus incolarum non excedit 1500, ut declaravit Pius IX per epistolam Cardinalis Pro-Datarii 30 Aug. 1847. Probabilius in hoc numero computandi non sunt acatholici, siquidem, absque dispensatione, cum iis nuptias inire velitum est.

Paritas condicionis lato sensu intellegenda est non tantum de opibus et statu, sed de educatione, genio, indole religiosa, etc. Ut autem vere dicatur nullum huiusmodi sponsum inveniri, sufficit ut mulier hic et nunc nullam congruam nubendi occasionem inter viros loci domicilii vel originis habeat ; neque obstat quod nullum sponsum quaesiverit, quosdam antea respuerit, virum ex alio loco habere possit, etc. Quodsi unus vir paris condicionis in eodem loco ei matrimonium offerret, non posset simpliciter allegari praesens causa, sed exprimenda esset illa circumstantia : qua non obstante, S. Sedes dispensare solet, ne nimium restringatur libertas nubendi (Feye, n. 654)

2^o “ *Aetas feminae superadulta*, si scilicet vigesimum quartum aetatis annum jam egressa, hactenus virum paris condicionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat. „

Si femina provectoris aetatis est, juvat id in supplicatione exprimere quo facilius dispensatio, praesertim ab impedimentis gravioribus, concedatur. Quae de viro paris condicionis inveniundo dicuntur, intellege sicut supra de causa angustiae loci.

3^o *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu tantam dotem ut extraneo aequalis condicionis, qui neque consanguineus, neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit. „

Dotis nomen hic non stricte de regimine dotali (Vol. I. n. 473) intellegendum, sed late de quibuslibet bonis fortunae quibus onera matrimonii ferri possint. Allegari autem potest praesens causa quotiens

dos non habetur *actu*, neque obstat quod femina eam habeat in spe, ex. gr. ab avunculo qui hereditatis partem promisit, vel a parentibus qui eam statim dare nolunt, neque, secundum legem civilem (C. C. a. 204) ad dandam cogi possint.

4^o *Lites super successione bonorum jam exortae vel earumdem grave aut imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet ; interest enim reipublicae ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scil. *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa non nisi pro remotioribus gradibus sufficit. „

5^o “ *Paupertas viduae* quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit atque in periculo incontinentiae versetur. „ (1)

6^o “ *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter Regna et Principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves vigerint, et, licet pax inter eos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis firmationem maxime conduceret. „

7^o “ *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, necnon cohabitatio* sub eodem tecto quae facile impediri non posset. „

Cum ratio hujus causae reponatur in scandalo vitando, requiritur ut haec familiaritas vel cohabitatio sub eodem tecto originem dederit suspicioni de turpi conversatione inter nupturientes. (Ball. P. n. 1368)

8^o “ *Copula cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et Praegnantia ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. „ (2)

(1) Causae hucusque enumeratae regulariter ad solam mulierem spectant ; quandoque tamen viris aptari possunt. Sic artifex, medicus, etc. qui aegre in alium locum se conferre possint, neque in loco exiguo domicilii sui mulierem invenient paris condicionis, possunt allegare *angustiam loci* : quae causa, saltem conjuncta cum alia, puta patrimonii insufficientia vel aetate superadulta, constituere potest causam finalem. (Ball. P. n. 1367)

(2) Hic addebatur in cit. Instr. necessitas commemorandi pravam intentionem quacum copula habita esset, ad dispensationem facilius impetrandam. Sed hanc obligationem sublatam esse patebit e dicendis n. 527.

Quando copula habita fuit absque impraegnatione, oportet ut sit publice nota : ratio enim hujus canonicae causae reponitur in scandalo vitando. Attamen copula occulta quandoque utiliter allegari potest ad corroborandum periculum incontinentiae, publici scandali, etc. (De Becker, p. 309)

9° “ *Infamia mulieris*, ex suspitione orta quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta maneret, vel disparis condicionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur. „

10° “ *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est : quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim feminae. (c. 7. de Consanguin.) At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. (Sess. 24. c. 5. de reform. matrim.) „

Ut subsistat ista causa, sufficit bona fides alterutrius contrahentium. Quodsi uterque mala fide matrimonium contraxit, hodie nihilominus dispensari solet, praesertim ubi alia causa superadditur, puta periculum matrimonii mere civilis. (Ball. P. n. 1367)

11° “ *Periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi*. „

Ratio hujus causae, ut explicatur in cit. Instructione, est tum vitandum gravissimum scandalum, tum timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi haereses impune grassantur. Potest haec causa allegari, sive parochus tantum hujusmodi mala graviora probabiliter timeat, sive ipsi contrahentes perversam suam intentionem manifestaverint.

12° “ *Periculum incestuosi concubinatus*. „

13° “ *Periculum matrimonii civilis*. Ex dictis consequitur probabile periculum quod illi qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam. „

14° “ *Remotio gravium scandalorum*. „

15° “ *Cessatio publici concubinatus*. „

16° “ *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus. „

Merita illa non debent necessario esse ipsorum oratorum ; allegari enim possunt etiam merita eorum parentum vel progenitorum.

Dantur et aliae causae, quae publicae dicuntur, ex. gr. copiosior elemosyna seu *Componenda*, quam oratores solvant ad piam causam. Haec

causa tamen allegari nequit apud S. Poenitentiarium quae in foro externo cum pauperibus tantum dispensat, neque apud episcopum, etiam delegatis facultatibus munitum. Ubi vero S. Sedes propter hanc causam dispensat, declarat se agere *ex certis rationabilibus causis*. (Feye, n. 668)

§ 3. DE MODO PETENDI DISPENSATIONES.

526. I. E facultate quae variis Tribunalibus Romanis et locorum Ordinariis competunt (n. 522 seqq.), satis patet ad quem sit recurrendum pro varia impedimentorum natura.

Attamen regulariter tum parochi, tum confessarii supplicationem ad Ordinarium dirigere debent : qui, si idonea facultate praeditus est, ipse dispensabit ; sin autem, ad competens Tribunal Romanum recurret. Etenim praxis Romana est ut pro foro externo nulla supplicatio recipiatur, nisi ab Ordinario confecta vel saltem ejus litteris testimonialibus commendata sit. Pro foro interno, quamquam unicuique licet per litteras adire ad S. Poenitentiarium, saepe facilius et securius per Ordinarium dispensatio in impedimento occulto petitur. (1) Quandoque tamen directe ad S. Poenitentiarium recurrendum esset, vid. si talia adjuncta concurrerent ut Ordinarius facile intellexeret pro quibusnam peteretur dispen-

(1) Exemplar litterarum quibus ab episcopo petatur dispensatio in impedimento publico hic subjungimus :

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Bartholomaeus X. e paroecia N. et Catharina Z. paroeciana mea matrimonium inire cupiunt. Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto gradu lineae collateralis... vel Obstant vero duo impedimenta : 1° Impedimentum publicae honestatis, ortum e sponsalibus, quae orator olim cum defuncta sorore oratrici iniiit. 2° Impedimentum affinitatis e copula licita provenientis, ortum e matrimonio quod oratrix olim inivit cum Sylvestro Y. consanguineo oratoris in tertio gradu collateralis aequali. Quare ab Illustrissima Dominatione Vestra humillime flagitant ut sibi dispensationem super hoc impedimento (his impedimentis) auctoritate Apostolica benigne concedere (a S. Sede obtinere) dignetur. Causae sunt... (n. 525).

Testor oratores esse ita pauperes ut nullam taxam solvere valeant (vel exponantur dubia aut difficultates quae de taxa solvenda occurrant). Cfr. n. 528.

N. B. 1° Semper juvat, et quandoque statutis dioecesis praescribitur ut cum litteris mittatur schema consanguinitatis vel affinitatis oratorum.

2° Pro impedimentis natura et facto occultis, similis forma supplicationis ad episcopum dirigi potest, adhibitis pro oratore et oratrice nominibus fictitiis et suppressa indicatione utrum pares an impares sint solvendae taxae : quae in casu non imponitur.

satio in impedimento diffamante. (1) Si cui ab Ordinario quaedam dispensatio negata fuerit, non prohibetur quominus eandem a S. Sede petat, nulla praecedentis denegationis mentione facta. Quodsi a S. Sede recusata fuerit dispensatio, negant plures (Zitelli, de Disp. matr. p. 70) fas esse eandem ab Ordinario petere, allegata eadem causa; nullum tamen Juris textum afferunt qui ad rem faciat. Quare cum aliis (D'Annib. I. n. 77. nota 63; Konings, Comment. n. 41) opinamur Ordinarium posse adiri et facultatem concedere pro foro interno, ubi justa et gravis causa urget, puta si constet rem non fuisse satis expositam vel ponderatam in curia Romana. In foro tamen externo se immiscere rei ad R. P. delatae temerarium est.

Propter varia incommoda quae e petitione facultatum ope telegraphi contigerant, Leo XIII (Litt. encycl. Secr. Status 10 Dec. 1891; Coll. P. F. n. 2189) vetuit ne SS. Congregationes *ordinarie* petitiones per hoc medium factas acciperent, eandemque regulam ab Ordinariis servari jussit. Liqueat tamen non prohiberi quominus SS. Congregationes vel Ordinarii benigne accipiant petitiones telegrapho transmissas quando necessitas obtinendae quamprimum dispensationis urgeat: quare haud imprudenter in tali necessitate petitio per telegraphum mittitur.

527. II. E stylo Curiae, in libello supplicationis ad S. Sedem vel episcopum dirigendo, plura sunt *necessario exprimenda* "ita ut si, etiam ignoranter, taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur." (Instr. S. C. de P. F. 9 Maii 1877; Coll. P. F. n. 1482) Haec

(1) Exemplar litterarum quibus dispensatio super impedimento occulto a S. Poenitentiaria petatur:

Eminentissime princeps,

Titius et Caia matrimonium inire cupiunt: sed obstat impedimentum criminis ortum ex eo quod Titius, dum vivebat adhuc ejus uxor Sempronia, copulam perfectam cum Caia habuerit et mortem Semproniae, effectu secuto, machinatus sit. Impedimentum omnino occultum est, neque ullatenus timendum videtur ne publici juris fiat. Adsunt gravissimae causae ob quas matrimonium inire cupiant: infamia vitanda, proles a Caia concepta. Quare Eminentiae Vestrae humillime supplicant ut dispensationem super impedimento praedicto, quamprimum fieri poterit, auctoritate Apostolica benigne concedere dignetur.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo

Eminentiae Vestrae
humillimus famulus
N. N. Parochus (confessarius) N. N.

N. B. In fine epistolae indicetur, lingua regionis propria, domicilium scribentis (*adresse*). Inscrubatur vero italice: Eminentissimo Cardinali Maggiore Penitentiario, Palazzo della Cancelleria, Roma.

recensebimus ex cit. Instructione, quae tamen directe dispensationes pro foro externo petendas respicit: quamquam aliunde constat pleraque ex iis punctis esse etiam in supplicationibus pro foro interno exprimenda.

1^o " *Nomen et cognomen* oratorum, utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. "

Attamen validum maneret rescriptum si error esset minimus, ex. gr. mutata tantum aliqua littera vel syllaba, aut omissio uno nomine illius qui duo haberet. (Zitelli, p. 71) Ubi vero ab episcopo vel S. Poenitentiaria postulatur dispensatio pro foro interno, oratores fictitiis tantum nominibus designandi sunt.

2^o " *Dioecesis originis vel actualis domicilii*. Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis in qua nunc habitant. "

Ex Litt. Encycl. S. Inq. 20 Febr. 1888 (Coll. P. F. n. 1471), sufficit indicare Ordinarium alterutrius contrahentium, sive originis, sive domicilii, sive quasi-domicilii: siquidem, ex iisdem Litteris, quilibet ex illis exsequi potest rescriptum dispensationis. In supplicationibus pro foro interno, omissio nomine dioecesis, indicandus est tantum lingua vernacula locus ad quem mittendum sit responsum. (Feye, n. 700)

3^o " *Species etiam infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii: in cognatione spirituali utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem. "

4^o " *Gradus consanguinitatis vel affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta aut transversa; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis tam ex parte patris quam ex parte matris. "

Hinc invalidum est rescriptum si pro gradu propinquiore ponatur remotior: siquidem ab hoc facilius quam ab illo dispensatur. Plures (Feye, n. 631) censent hodie idem dicendum esse si pro gradu remotiore ponatur propinquior, ex. gr. secundus pro tertio. Nituntur responso S. C. de P. F. 7 Jun. 1853 (Coll. P. F. n. 1238): " Per facultatem dispensandi super impedimento secundi mixti cum primo, haud tributum indultum dispensandi quoque quando primus cum tertio mixtus deprehendatur. " Attamen cum aliis AA. (Rosset, t. IV. n. 2530) censemur minime improbabilem evasisse sententiam contrariam, quam antea communiter tenebant AA. ob rationem valde verisimilem: quod minus in majore continetur,